Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1965
Quelle:
Copyright:



*beri tueantur* &c. Plena obſervantiae, ad *Lipſienſem* quendam eruditum data videtur.

31.) *Sabini* (Georg.) *Epiſtola.* Init: *Cum C. V. ſingulari me benevolentia complexa ſit* &c. *Celſitudinem* hanc Marchionem *Brandeburgicum* interpretor fautorem ſtudiorum egregii Juvenis noſtri, qui ſe jam libris ab eo inſtructum hic teſtatur, et viaticum orat in *Italiam* profecturus ad perficiendam dicendi, ſcribendique facultatem conſuetudine Doctorum, *qui in hoc genere noſtris hominibus longe antecellunt.* Subjectum huic Epiſtolae P. M. fidem facit, eam a *Philippo* in gratiam cari diſcipuli, futurique Generi conſcriptam fuiſſe. Idem de praecedente dicam.

32.) *Caſpari Crucigero* ἀδελφῷ φιλτάτῳ et ſubſcripta: *Philippus* ἄδελφος σῶ. Familiaris, data *Mansfeldiae 5. Octobr.* et cum mortem *Alberti* Card. Elect. *Moguntini* nunciet, a. 1545. Init: *In his iugis hercinijs invenimus D. Stephanum Medicum Cygneum* &c.

33.) *Gratiarum actio pro Commendatione ad Philippum data.* Ab ipſo *Philippo* in gratiam cujusdam Juvenis *Wittebergam* ſtudiorum cauſſa adpulſi concinnata, ut e ſubſcripto P. M. iterum conjecto. Init: *Nihil mihi accidere honorificentius hac quidem ætate potuit* &c. Sine die et conſule. Harum porro *Melanchthonis Epiſtolarum* illas ad *Wellerum* et *Oſiandrum* in Collect. tam *Peuceriana Witteb.* 1570 — 74. 8. quam *Manliana Baſil.* 1565. 8. reperies, alias ad *Reineck*, *Gluenſpies*, *Reifenſtein*, *Micyllum*, et *Sabini* nomine ſcriptam in *Manliana* ſolum; ceterae fortaſſis ineditae ſunt.

VII. *fol.* 351. Colloquium *Georg. Calixti* Theologi Luth. cum *Auguſtino Turriano* Jeſuita *Hildeſ.* habitum in Arce *Hemelsburg.* a. 1614. hic ἀκέφαλον, editum vero typis 1657. et 1665. 4.

VIII. *fol.* 101. novo computo ineunte, Epigrammata II. Primum jocatur de Morbo *Gallico* in locum Purgatorii ſubſtituto, deque novo Coeli Janitore S. *Jobo;* alterum de Minorita *lignipede.* Primum, quod incipit:

*Sunt, qui poſt mortem noſtræ purgamina culpæ* &c.

tribuitur a manu ſecunda *Nicolao Politae* ſive *Bourgeois Bruxellenſi*, cujus varia retuli in vernac. mea *Hiſt. Typogr. Vienn.*

IX. *fol.* 102. *Gabr. Didymi* ſeu *Zwilling* Eccleſiaſtae *Torgav.* Scriptum contra Formulam *Interim*, id eſt, *Erklerung auf den Augſpürgeriſchen Radtſchlag, ſo das Indterim genennet würdt des 48 jars. Darneben auch ain khürtzer bericht vnd Antwort auf die Khirchen Ordnung. Diſes 49. Jars.* Dicatur primo *Mauritio* Elect. *Sax.* dein *Georgio Anhaltino*, cui ipſo in limine edicit Au-